

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LVIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Adum Deum. Non est enim credibile, quod gloriam Dei ubiq. terrarum inualescere cupiat, qui ipse ad laudandum & glorificandum Deum non est animo propensus. Igitur necessarium est ad laudandum Deum, ut cor sit paratum ad laudem Dei. Ad hoc opus est cognitio & sensus bonitatis & beneficiorum Dei. Nec frustra est, quod ingeminat hanc particulam. Habet enim ista ingeminatio notam ardentissimi desiderij gloriæ Dei.

Cantabo & psallam. Excitare gloria mea, excitare psalterium & cithara, mane excitabo, &c. Cor paratum ad laudandum Deum non est ociosum. Nam ex abundantia cordis os loquitur. Ideo affectus gloriæ Dei, qui in corde est, erumpit in canticum, & uocalem Dei laudem: sicut cor luctu & dolore repletum, exestuat in ploratum & lachrymas: cor lætum in risum, & frontis hilaritatem. Ideo commodum ubi dixit, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: subiecit, Cantabo & psallam. Exuberantiam autem affectus laudandi Deum exprimit in eo, quod non simpliciter ore uult psallere, sed & cithara & psalterio instrumentis musicis canere, idq. manè: & tertio, nō in latebris, sed in medio populorum. Huc etiam facit quod linguam suam, citharam & psalterium alloquitur, dicens: Excitare gloria mea, excitare psalterium & cithara, excitabo diluculo. Respicit ad id temporis, quo paci restitutus, petiturus erat Ecclesiam Domini. Hic pollicetur sibi ipsi, quod mane, cum summo gaudio uelit Ecclesiam Dei petere, inq. illius medio & conspectu Dominum omnibus uiribus laudare & extollere

Ergo & ista duo pertinent ad laudem Deo decantandam. Primum, ut sedulo fiat. nam sedulitatem exprimit, cum dicit: Excitare gloria mea, &c. Excitabo diluculo. Quicquid cupide & ex animo geritur, sedulo & properè geritur. Et ista sedulitas ita grata est, ut nō immerito sit dictum: Qui cito dat, bis dat. Alterum, ut non absconditè, sed publice, si fieri possit, laudetur Deus. Nam hoc exigit desiderium ampliandæ gloriæ Dei. Quemadmodum enim, qui uituperationem alicuius instituit, nō satis habet, quod ipse de illo malè sentit, illumq. penes se uituperat, nisi id passim faciat apud alios. & si possit, apud omnem ecclesiā hoc maximè cuperet, posteaquam uellet eum ab omnibus mortalibus esse explosum, ita planè habet & affectus laudandi Dominum in electis. Ideo dicit, Laudo te inter populos Domine, psallam tibi in populis. Vide historiam 2. Sam. 6. de reductione arcæ Domini. De eo quod gloriam suam uocat, linguam suam, uide suprâ psal. 16.

Vnde ad istum laudandi Dominum affectum sit motus, declarat uer. 6. & 10. Ver. 6. cōmemorat, quid sibi priuatim à Deo sit factum, quamuis de illo dixerit parte secunda psalmi. Expendit autè id quod uersu tertio dixerat, Ad opprobriū uocanti me. Nam Saul cum suis quærebat & ignominiam Dauidis, cum omnimodo exitio: uerum ita iusto Dei iudicio ille seruatus est ab insidijs eorum, ut ipsi interierint, & opprobriū inuenerint sempiternū. Hoc est quod dicit: Re-te parauerūt pedib. meis, &c. Simile locū habes suprâ Psal. 7. Iustū hoc Dei iudiciū magnæ debet esse cōsolationi omnibus iniuria adflictis, maximè ijs qui pessimorū hominum insidijs obnoxij sunt. Præclara sunt huius exēpla, in lacu leonum, in camino Babylonico, in cruce Amā.

Ver. 10. transit ad generalem bonitatis & fidei Dei commendationem, quam laudat in eo, quod omnia excellat, sitq. omnium maxima. Ita quippe solemus magnitudinem eorū quæ uel laudamus uel uituperamus, exprimere, ut dicamus ea cœlos attingere. Est autem hic notandum, quomodo sancti soleant à priuatis beneficijs Dei uenire ad considerationem & commendationem generalis bonitatis Dei, ne uideantur bonitatem Dei coarctare in ea quæ sibi fiunt, uel eam deputare suæ ipsorum probitati: sed ut assignent ueluti causam eorum beneficiorum Dei, quæ ipsi à Deo accipiunt, immensam ipsius bonitatem, terram & omnia replentem colaudant, & laudandum proponunt.

Discimus itaq. hoc loco ista duo. Primum, ad laudandum Deum opus esse præuio beneficiorum Dei sensu. Alterum, ex priuatis Dei beneficijs agnoscendam & deprædicandam esse generalem bonitatis Dei excellentiam.

PSALMVS LVIII.

Ad præcinendum, Ne perdas, Dauidi Michtham.



Vm uerè, o concilium, iustitiam loquimini: num recta iudicatis, filij Adam?

At iniquitates in corde concinnatis, in terra calumniam manus uestræ appendunt.

Alienati sunt impij ab utero, errauerunt, à uulua loquentes mendacium.

Venenum illis sicut uenenum serpentis, sicut aspidis surdæ, obturantis aurem suam.

Quæ non audit uocem incantantis, magi inter magos præstantis.

O

Deus

Tertium.

Vers. 7.

Hunc uersum repetit in fine psalmi.

Quartum.

Daniel. 3. 6.

Ester 7.

- 6 Deus destrue dentes eorum in ore eorum, molares leunculorum confringe Domine.
- 7 Diffluent sicut aqua, quæ abeunt sibi: sagittæ eorum ubi diriguntur, erunt sicut quæ abscissa corda dilabuntur inanes.
- 8 Sicut limax quæ diffluens abit, uelut abortiuum mulieris, solem non uidebunt.
- 9 Antequam spinæ uestre intelligant rhamnum, sicut uiuum, uelut in furore subuertet eum.
- 10 Lætabitur iustus cū uiderit uindictam, pedes suos lauabit in sanguine impij.
- 11 Et dicet homo, certè fructus est iusto, certè est Deus iudicans in terra.
- LECTIO. O concilium.) Ebr. אֱלֹהִים. Græc. & Vulg. lat. Vtiq. Sic & Hieron. & Iustin. Felix, mutam. Pagni.
- Ver. 1. O congregatio. Tigurina, O manipule. Camp. Vt uos quibus provincia iudicandi rectè mandata est.
- Ver. 2. Appendunt.) Græca & Vulg. lat. Concinnant. Felix, Aequilibrabunt. Pagnin. Appendetis.
- Ver. 4. Venenum illis.) Ebr. חֲמָה לְבָרָם. Græc. & Vulg. latina, & Felix, Furor illis. & Hieron. & Iustin. Furor eorum. Pag. Venenum est illis.
- Ver. 5. Magi inter magos præstatis.) Ebr. חֲכָמִים בְּרַחֲמֵם. Græcus sic, φαρμακῶν φαρμακιστὴν παρὰ τοῦ, Vulg. lat. Et uenefici incantantis sapienter. Hieron. Nec incantatoris incantiones callidas. Felix, Venefici incantantis incantationes docti. Pagn. Incantantis incantationes sapientis effecti. Felinus: Magi artibus magicis præstantis.
- Ver. 7. Erunt sicut quæ abscissa corda dilabuntur inanes.) Ebr. בְּמַי יִתְחַלְלֶינָה. Græc. & uulg. lat. Donec infirmantur. Hieron. Donec conterantur. Iustin. Subito conterentur. Felix, Sint ac si confringerentur. Pag. Sed erunt ac si essent excisæ.
- Ver. 8. Sicut limax, quæ diffluens abit.) Ebr. כְּמִי שֶׁלֹּא יִתְחַלְלֶינָה. Græc. & Vulgata latina, Sicut cera quæ fluit, auferentur. Hieron. Quasi uermis tabefactus pertranseant. Iustin. Sicut limax tabefactus pertranseant. Felix: Velut cochlea quæ liquefit perget.
- Velut abortiuum mulieris.) Ebr. כְּמִי שֶׁלֹּא יִתְחַלְלֶינָה. Græc. & uulg. Lat. pro אֶשָּׁה legerunt אֵשׁ, & reddiderunt, Supercecidit ignis.
- In uersu ultimo, iudicans in terra, Græc. & uulgata Latina, Iudicans eos in terra. Eos, non est in Ebræo.

Argumentum Psalmi.

Malitiam eorum qui Saulem contra se instigabant, describit Propheta: simulq; meritis poenas cum imprecatur, tum prædicit.

Dispositio.

Habet autem psalmus quatuor partes. Prima continet inuestiuam aduersum assentatores Saulis. uer. 1. & 2. Altera malitiam eorum depingit. uer. 3. 4. 5. Tertia uindictam cōdignam illis & imprecatur & prædicit, uer. 6. 7. 8. 9. Quarta complectitur fructum, qui ex improborum uindicta nascitur, uer. 10. 11.

PRIMA PARS.

Ver. 1. & 2.

Per apostrophen reprehensoriam primū assentatores ipsos Saulis, homines impios, calumitatis suæ authores, & conflatores alloquitur, illisq; opprobrat iniusticiam, iniquitatem cordis, & calumniam infontium, qua immeritos passim per omnem regni ditionem premebant. Nam hoc est, quod uer. 2. dicit, In terra calumniam manus uestre appendunt. Opprobrat autem illis non uulgarem, & quamuis iniustitiam & calumniam, sed eam quæ nomine & uirtute iudicij & iusticiæ uim obtinuerit, ut nemo ausus sit contradicere. Erant enim iudices ac consiliarij Saulis. Et hoc est, quod percontando instat dicens: Num uerè iusticiam loquimini o cōcilium? Num recta iudicatis, filij Adam? Officij illorum fuerat loqui & iudicare, quod iustum esset ac rectum. Verū, ut uersus secundus habet, loco iustitiæ concinnabant ex cordis malicia iniquitatem: & loco eorum quæ recta essent, appendebant calumniam. Aequitatem ac rectitudinem iusti iudicij intelligit per libram ac trutinam, cuius usus non iniquitati, sed æquitati seruire debet. Ita & iudicandi officium non ob id est institutum, ut appendat infonti calumniā, sed ut singulorū facta iusta lāce trutinēt, & pro meritis quod rectū sit, decernat. Et hoc nomine ueteres iustitiā per librā depinxerunt, utpote perpetuū & ubiq; quod rectum & æquum est expendentē. Et quoniā possibile est, ut unus index fallatur, & quia duo acutius uident uno solo, institutū est, ut plures ad iudicandū conueniant, quorū omniū idem debeat esse propositū, ut quæ recta sunt decernant. Ita uocat istos, אֱלֹהִים, id est, cōgregationem, conciliū, uel senatū, cui dat munus iustitiæ loquendi, & quod rectū est iudicandi. Opprobrat ergo improbis istis Saulis assentatoribus perniciosissimum & uolentissimum iniustitiæ genus, quo nomine iustitiæ & iudicij quosuis innoxios opprefferint. Et reuera non est nocentior ulla iniquitas, quā quæ specie iustitiæ grassatur. Nec emphasi caret, quod eos uocat filios Adæ: hoc est, homines reprobos & corruptos, sua malicia corruptæ naturæ peruersum ingenium referentes.

Admonemur

Libra nihil discernit in er
plumbum &
aurum, sed cui
que suum pondus
assignat.

A Admonemur ergo ex eo, quid sit expectandum à talibus, si potestatem iudicandi adipiscatur, & maximè, si sub rege fuerint impio.

SECUNDA PARS.

Altera psalmi parte describit propheta impiorum maliciam singularem, per quam nobis depin- Ver. 3. 4. 5.
gitur, quanta sit pestis, sicubi peruersi & maliciosi homines iudicandi potestatem obtinuerint.

Primum dicit eos esse alienos, uidelicet à Deo & populo Dei. Et hoc sanè demonstrabant, 1
ubi populum Dei affligebant. Nam ea in re certum est indicium, & hodie quoq; non esse ger-
manos fratres, si qui maliciose fratres & cognatos oppresserint. Obseruemus hanc notam in 2
ecclesia, ut discamus qui sint uera ecclesie membra, qui non sint. Deinde, ubi addit, Ab utero &
à uulua, natiuam illis assignat maliciam, & generis peruersitatem. Quibus uerbis etià hoc includi- Bæse art.
tur, quod ab infantia ingenij singularem prauitatem declarauerunt. Nam, ut ille ait, Vrit maturè,
quod uult urtica manere. Igitur dat illis agnatam, inolitam ac confirmatam maliciam. Si dixeris, Et 1. Reg. 24.
quomodo usq; adeò emerferunt, ut facti sint Saulis consiliarij, & iudicandi potestate honora-
ti, si ab utero mali fuerunt? Cogita primò, nihil esse mirandù, si inter filios Adæ obtineant quid
uis filij Adæ, si in corruptione promoueantur corrupti, præsertim ubi ex ira Dei datur populo
rex impius & hypocrita, daturq; uindictæ gratia. Deinde si expendas, quod dicit, A uulua lo-
quentes mendaciū: protinus agnosces quā nō debeas admirari, si sub rege impio & hypocrita
emergant homines impij & hypocritæ, à puero ad mentiendū instituti. Quid non potest eo lo-
ci ingenium uafum ac subdolum, cum id soleat aliquando & bonis principibus imponere?

Nostrium seculum luculentissimè declarat, quid possit mendaciū in aulis principum. Assen-
tatione hoc hominum genus nascitur, alitur & prouehitur, ut si illis unā hanc demas, abstuleris
universam pariter & uitā & facultatē: ut nō minus esse & posse quod sunt & possunt ualeāt, q̃
si pisci ademeris aquā, sinē qua nec natare nec spirare potest. Tertiò maliciam illorū describit, 3
quatenus ad nocendū instructa erat. Non enim hactenus tantū assentatores erāt, ut & regi sese
approbarent, & rem suam curarent: sed & quosuis innoxios falso iudicando opprimebant, ue-
lut ad nocendum nati. Hoc est, quod uer. 4. dicit: Venenum illis sicut uenenum serpentis. Præ-
sens exitiū adfert serpentis uenenū, quod & in eum usum habet à natura, adiuncto etià natura
li quodā ad spargendū illud & lædendū ductu, deinde & aptitudine quadā & scientia spargē-
di. Ita isti homines & uenenū habebant lædendi materiā per mendaciū, deinde & animum si- 4
mul & peruersam calliditatē, ad nocendum trino nomine instructi. Quartò, quod omniū erat
pessimū, dat illis tantam pertinaciam & obstinationem, ut prorsus à malicia ingenij irreuo-
cabiles fuerint, cū dicit: Sicut aspidis surdæ obturantis aurem suam. Quæ non audit uocem in-
cantantis, etiam eius qui inter magos sit præstantissimus. Indicat hoc hominum genus nullis
B admonitionibus emendari potuisse, imò ad inonitionē nullam admisisse, sed uelut aures suas
obturasse. Tales erant & scribæ & pharisæi, ac sacerdotes tempore Christi, aures habentes, &
non audientes. Et conciliū illud quod Stephanū lapidauit, de quo Act. 7. legimus, quod aures
cōtinuerit, ne audiret testimoniū Stephani de gloria Christi testātis. Isti instar serpentū uel ef-
fundūt uenenū & perdunt: uel si hoc nequeūt, saltē aures obturāt, ne audiant ueritatis uocem. OBSER.

Quid igitur ex his uersibus colligemus aliud, quàm certa impietatis indicia quædā, quæ stu-
diose ubiq; notanda sunt, ut constans habeamus inter pios & impios discrimen: quandoqui-
dē & pij alioqui subinde peccant, ne putemus statim esse impiū, qui delinquit. Ponuntur hic
nobis ob oculos quatuor notæ hominū impiorū, quarū nulla deprehenditur in homine pio.
Prima est, quod uocat eos alienos, hoc est, alienis à populo Dei moribus & affectibus, omni
qualitatibus destitutos, hostes uerius quàm fratres. Hoc in pijs non reperitur qui hoc habent ue-
lut propriū, ut ament fratres & populū Dei. Altera est, quod dicit eos ab utero malos esse, & lo-
quentes mendaciū, hoc est, maturè maliciosum & subdolū ingeniū ostendere. Ista maliciæ ma-
turitas singularis quædā nota est animi impij, & ad maliciā destinati. In pijs uerò statim obser-
uanda est ingenij quædā placiditas & pronitas. Licet enim omnes in peccatis cōcipiamur & na-
scamur, tamē luculentissimè uidemus ab ipsa natiuitate quoddā puerorū discriminē, ut alij alijs
ad maliciā sint proniores, quod inde esse arbitror, quod pijs, quoniā ab æterno electi sunt ad
uitā, indatur statim semen aliquod Dei: quo etsi nō planè, tamen aliquousq; ducatur ad probi-
tatē, & à malicia cohibeatur, donec uocationis tēpus aduenerit. Et hinc puto esse, quod qui ta-
les sunt, uocationi Dei, quæ est per Euangeliū, nō resistunt, uel certè pertinaciter nō resistunt,
sed ut filij pacis, quales eos uocat Christus, Lucæ 10. uel statim, uel tandē obtēperant: e contra
uerò qui impij sunt, & tales, quales hic à propheta describuntur, uocanti Deo resistunt, & Euan-
gelio gratiæ manibus ac pedibus repugnat. Ipsa quoq; experientia omniū certissima docet, ni-
hil boni expectandū esse ab eo, qui statim à puero certas singularis maliciæ notas ostēdit. Ter-
tia est, quod facit eos malicia, fraude & dolo instructos, deinde & industrios & aptos, tertiò p-
pensos etiā ad nocendū, ubi dicit: Venenū serpentis, uenenū eorū: quod propriè est impiorū,
& piorū esse nequit. Nā illi licet aliquando tententur ad malū, & animo conceperint aliquid,
quo nocere queāt: industria tamē & aptitudine, deinde & constanti propensione ad nocendū
desti-

Et crediderūt
quoque erat
præordinati
ad uitam.

destituuntur. Cohibentur enim cum timore Dei, tunc ingenij probitate, ne sint æque ad nocendum instructi, industrij, & propensi. In impijs est ipsa nocendi materia, est studiũ, est industria, unde recte serpentibus hic à propheta comparantur. Quarta est, quod facit eos obstinatos in malo, ita ut nullam admittant admonitionem, uelut aspides, surdi ad omnem incantationem, non solum non audientes, sed studio aures, ne audiant, obturantes. Sentiunt enim uim quandã uerbi Dei, quã ferre nequeunt: quam ut effugiant, aures obturant, ne uel uocẽ illius aliquã audiant sibilo ostendentes animi impij ac serpentini ingenium. Et ea est illorũ captiuitas, qua detinentur à satana, ne audientes resipiscant. Pij uerò, licet non semper, quæ audiunt ita apprehendunt, ut ea opere præstent: hoc tamen habent à Deo, ut libenter audiant. Satis quidẽ ad ueram pietatẽ non est, audire tantũ, & non facere, Matth. 7. Maior tamen pietatis & futuræ emendationis spes est in illis qui audiunt, quã qui prorsus audire nolunt: ut maior spes est uitæ conseruandæ in comedentibus, quã in illis qui omnẽ cibũ respuunt. Sanitas egroti ex eo non est speranda, quod medici uerba audit quidem, sed consilijs illius non obtemperat. Attamen si ne audire quidem cuiuscunq; consilia sustineat, quomodo sperari potest, quod sit reualiturus?

*Tertia pars.
Vers. 6. 7. 8. 9.*

His quatuor uersibus, posteaquam maliciam aduersariorum suorũ, hominum impiorũ descripsit, recto illis ordine & meritũ supplicium simul imprecatur, & futurũ prædicit. Imprecationem habet uersus sextus, per apostrophẽ ad Deum: Deus, inquit, destrue dentes eorũ in ore eorũ, molares leunculorum confringe Domine. Per dentes intelligit uires & instrumenta nocendi, lædendi, & perdendi. Precatur Deum, ut præposteram illam potentiam & facultatẽ ipsorũ, qua ad oppressionẽ infontium utebantur, destruat & inanem reddat. Ita solent feris bestijs abrumpi dentes, quibus ad nocendũ uti consueuerunt. Admonemur igitur hoc uersu primũ, quod debeamus à facie maliciæ impiorum confugere, utut potentes sint, nempe ad Deũ. Statim ubi maliciam hostium suorũ commemorauit, toto cordis affectu ad Deum cõfugit, auxilium illius implorans. Deinde, quid precari debeamus aduersum improbam & maliciosam impiorum potentiam, uidelicet, ut conteratur, quam habent, nocendi facultas. Non caret autem emphasi, quod eos uocat leunculos. Videtur enim hoc respectu Saulis, quasi leonis, facere, atq; ita regnum ipsius notare tyrannidis & rapinæ, in quo leone dominante, aulicis ipsius uelut leunculis, prædæ studentibus, omnia pateant.

Ver. 7. 8. 9. interitum impiorũ prædicit, idq; ita maturum, ut conatus ipsorum prorsus sint inanes futuri, quibus ipsius exitium moliebantur. Ad cuius declarationẽ quinque similitudinibus utitur. Prima est, aqua dilabentis, cum dicit: Diffluent sicut aqua. Aqua nihil habet solidi. Etia si aliquandiu tumeat, & in altũ exurgat, ut omnia uideatur occupatura, tamẽ statim ut est fluida, dilabitur, nihil relinquens post se nisi foetorem. Altera est arcus, cuius nerui sint incisi. Huius iacula inaniter diriguntur. In ipso iactu frustra dilabuntur, ita & conatus impiorũ. Tertia est testudinis, quæ nõ diu durat, sed intra ipsam testã tabescit, inanẽq; relinquit. Quarta est abortiui mulieris, cuius uita in ipso terminatur utero, ut solẽ nõ uideat. Quinta est spinarũ recentium, quæ antequam ad maturitatẽ rhamni perueniãt, à cultore horti uel agricola extirpantur.

OBSER. I.

Notandum est hic, quibus oculis debeamus inspicere homines impios, utut potetẽs in hoc seculo. Oculos suos propheta ab ea facie, quã tũ gerebant impij terribilẽ & metuendã auersos, in futurũ iudiciũ, quod eos manebat, dirigit: ibiq; iã non leones neq; serpentes & uiperas inuenit, sed aquã dilabentẽ, arcũ confractũ, limacem tabescentẽ, abortiũ & spinas immaturas reperit. Vnde colligit istã mutationẽ: Ex iusti iudicij Dei potẽtia. Sic Mich. 1. ubi dictũ est, Dominus descendet de loco sancto suo (uidelicet ad iudicandũ impios) & calcabit super excelsa terræ: statim subditur, Et consumet montes subtus eũ, & in ualles scindentur, sicut cera à facie ignis, sicut aqua decurrunt in præceps. Terribiles itaq; sunt impij, ubi formas leonũ, serpentũ, & malarũ eiusmodi bestiarum oculis carnis obijciunt: ubi uerò oculis fidei inspicuntur, nihil aliud sunt, quã aqua defluens, &c. Nec est quod quisquã dicat, tales fuisse quidem hostes Dauidis. Verũ non mox omnes impios tales haberi posse, si expendat prophetiæ huius fontẽ, uidelicet iustitiã Dei. Odit enim ille impios, atq; ideo illos omniũ certissimus manet interitus. Sic psal. 5. Odisti omnes operantes iniquitatẽ, perdes loquentes mendacium, uirũ sanguinum & fraudis abominatur Dominus. Et psal. 1. Nouit Dominus uia iustorũ, iter impiorũ peribit.

OBSER. II.

Deinde & hoc notandũ est, quomodo oculi nostri à terribili impiorũ aspectu, ad inane illorum spectrum contuendũ auerti queat. Precatur propheta ad Dominũ, & mox post præcẽ istã de hostibus suis prophetiã rapitur. Ergo diuini nominis inuocatio huc dirigit oculos nostros, ut iã nõ quales uideãtur impij, sed quales breui futuri sint, consideremus. Occurrit enim mēti præcãtis statim hinc bonitas illa Dei, quæ suos deferere: illinc iustitia illius, quæ reprobos diu ferre nequit. Vbi igitur terret impiorũ aspectus, faciamus id quod solent paruuli, qui ipso naturæ ductu ad auxilliũ & sinũ paternũ aufugiunt, ubi & metu liberantur, ac securi redduntur.

*Quarta pars.
Ver. 10. 11.*

Hæc psalmi postrema pars docet nos, quid utilitatis adferat supplicium de impijs sumptũ. Assignat autem fructum illius duplicem. Primũ, uer. 10. quod uidelicet iustus conspecto impiorum interitũ sit gauisurus. Lætabitur, inquit, iustus, cum uiderit uindictam. Non addit, Inimici

A mīci fuit sed impij, cum dicit: Pedes suos lauabit in sanguine impij. Non enim potest iustus latari de interitu inimici sui, quod & in Dauidē uisum est, ubi Saulis interitus nunciabatur. Vbi uero impiorum conatus, gloriæ Dei repugnantes, irritantur, & pereunt iam hostes Dei, ut asseratur gloria Dei, id est unde gaudeat iustus.

Illud, Et pedes suos lauabit in sanguine impij: aut hyperbole est, supplicij grauitatem exprimens, aut idem est atq; Tum lauabit iustus pedes suos, id est, securus erit, & recreabitur ab omni molestia, per sanguinē, id est, interitū impij. Cadentibus enim impijs, securi redduntur iusti. Atqui recreatio & refocillatio per pedū ablutionē rectē capi potest iuxta consuetudinē eius regionis, quæ id in usu habebat, ut fessorū pedes refocillationis gratia lauaret. Sic Christus ad Simonē leprosum, Aquā pedibus meis nō dedisti. Et Paulus 1. Tim. 5. Si sanctorū pedes lauit.

Alterum fructum assignat uersu ultimo, dicens: Et dicet homo, id est, quisque mortalium. Man uirt sagen, Vtiq; est iusto fructus suus: id est, Vtiq; habetur coram Deo iusti ratio. Iustus Deo commendatus & charus est. Et, Vtiq; est Deus iudicans in terra. hoc est: Est Deus in cælo, qui pro sua iustitia punit nocentes, & supplicium sumit de impijs.

Docemur hic, quo usu esse debeant exempla illa impiorum, de quorum interitu in scripturis legimus: ad id uidelicet, ut hi, qui fide iustitiam Dei non apprehendunt, uel ipsa experientia inducantur ad cognoscendam prouidentiam & iustitiam Dei. Alioqui obtinet impia illa cogitatio in cordibus mortalium, Non est Deus, Deus non uidet, Res mortalium non curat. quæ huc tendit, ut liceat securē delinquere. Vide Malach. 3.

Ethoc quoq; loco apparet, unde sit, quod iustus lætatur in casu impiorum: hinc uidelicet, quod in densis istis impietatis tenebris, quasi radius quidam iustitiæ Dei elucescit, oculos incredulorum ita uerberans, ut cogantur Deo iustitiæ gloriam dare. Quemadmodū enim blasphemiam nominis Dei habet ista cogitatio impiorum, quæ dicunt, Deus non uidet, non requirit: ita ad gloriam Dei facit, cum dicitur, Vtiq; est fructus iusto, utiq; est Deus iudicans in terra. Et quemadmodum nihil minus ferre potest iustus, quàm diuini nominis blasphemiam: ita de nulla re amplius gloriatur, quàm quæ ad gloriam Dei illustrandam facit. Facit autem hoc, supplicium de impijs sumptum. Igitur de illo lætatur. Et quia prosperitas impiorū ad ignominiam Dei & impietatis fomentum facit, sit ut illius gratia tristetur. Vide Psalmum 10. Propter quid irritat impius Deum? Dixit in corde suo, Non requires. Vidisti, quoniam tu afflictionem & dolorem consideras, &c. & Hierē. 12. Quare uia impiorum prosperatur, &c.

PSALMVS LIX.

Ad præcinendum, ne perdas, Michtam Dauidis, cum misisset Saul ad obseruandum domum eius, ut ipsum occideret.

Argumentum Psalmi.

Ex titulo patet, quod sit Psalmi huius argumentum. Exprimit propheta, quo fuerit erga Deum affectus, cum à Saule ad mortem quaereretur, quid precatus sit, quæ fuerit inimicorum ipsius improbitas, & quam fiducia in Deum collocata, animo sit redditus pacato, & ad laudandum Deum accenso. Historia, ad quam respicit Psalmus, habetur 1. Sam. 19.

Dispositio Psalmi.

Partes Psalmi sunt tres. Prima continet uersus priores 7. Altera 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. animi iam pacati fiduciam canit. Tertia, postremis duobus 16. & 17. gratiarum actionem pollicetur.

PRIMA PARS.

Septem primis uersibus, pro auxilio ad Deum contra inimicos suos clamat, conquerens de illorum improbitate & insidijs, quibus innocentem se ad mortem uenabantur.



Ripe me de inimicis meis Deus meus, ab insurgentibus in me protege me.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de uiris sanguinum salua me.

Quoniam ecce insidias parauerunt animæ meæ, congregati sunt aduersum me fortes, non transgressionis meæ, neq; peccati mei gratia Domine.

Sine iniquitate currunt, & adornantur: exurge obuiam mihi, & uide.

Et tu Domine Deus exercituum, Deus Israel, exurge ad uisitandas omnes gentes: ne benignus sis cuiquam iniquè præuaricanti. Selah.

Redeunt ad uesperā, tumultuantur instar canum, & circumeunt ciuitatem.

Ecce loquuntur ore suo, frameæ in labijs eorum, Quoniam quis audit?

Sine iniquitate currunt & adornantur. Ebr. בלי עון וריצון יריבונם. Græc. & uulg. Lat. Sine iniquitate

1. Reg. 19.

Luc. 7.

OBSER. I.

2. Pet. 2.

OBSER. II.

LECTIO.